



I. G. G. L E I B N I T I I
 DESIDERATA CIRCA LINGUAS POPULORUM,
 A D D N. P O D E S T A ,

Interprerem Cæsareum , & Professorem Linguæ Turcicæ ,
 transmissa , cum ejusdem PODESTA responso.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

C Um nihil majorem ad antiquas populorum origines indagandas lucem præbeat , quām *collatio linguarum* , sœpe miratus sum *Geographos* , & peregrinatores de linguis scribere negligentius , nec specimina earum nisi raro exhibere. Quoniam igitur constat , magnam Asiar , & Europæ partem ex Septentrione colonias accepisse : gentes autem septentrionales , præsertim ad ortum vergentes , quæ maximè nosci merentur , omnium minimè noscantur , operæ pretium putavi eorum implorari opem , qui vel autoritate , vel occasione exercendæ curiositatis aditum ad has notitias habent.

1. Desideratur specimen vocabulorum , & modorum loquendi peculia- rum *Saxonibus Transylvanis* , id est , non ut loquuntur homines cultiores , sed ut loquitur plebs , ut comparari possint cum lingua plebeja nostrorum Saxonum. Dicitur enim esse in plebe illa multas voces nec Hungaricas , nec Slavonicas , & tamen aliis Germanis communiter non intellectas.

2. Desideramus scire , an adhuc in *Tartaria Crimæa* reperiantur reliquie Germanorum , seu Gothorum veterum , dialectum Germanicam usurpantium. Nam *Busbequius* , qui fuit Legatus Cæsaris ad Portam tempore *Solimanni* , vidit tales semi-Germanos Constantinopoli , qui venerant ex *Taurica Chersoneso* , & multa eorum vocabula notavit.

3. Quod si tales supersunt , inquirendum erit in plura specialia de ipso- rum lingua , & statu.

4. Quæritur , quinam populi sint sub Imperio Moscovitico , aut in ejus vicinia , quorum lingua non sit Slavonici generis , sed peculiaris.

5. Quæritur , quæ sint linguæ propriæ *Siberia* , & populorum ulterio- rum versus fluvium *Oby* , & fluvium *Irtis* , & alios illic fluentes. Hoc sciri potest per interprètes , & mercatores , qui frequentant urbem *Zobolsko* , primarium *Siberia* , & ex illa parte versus *Persiam* , *Indianam* , aut *Chinam* proficiuntur , vel commercia habent. Tales enim possunt procurare *Ora- tionem*

tionem Dominicam, seu *Pater noster*, versam in plurium diverorum populum linguas, quod est optimum medium eas comparandi, quia jam multas hujusmodi versiones habemus. Possunt etiam addi nonnulla vocabula rerum vulgarium, quæ infra ponemus.

6. Quæritur, quæ sint linguæ ad septentrionale latus Ponti Euxini, & ulterius versus Orientem, & Septentrionem. Hoc similiter sciri potest per interpres, missionarios, & mercatores, qui versantur apud urbem Caffam, Trapizundem vulgo Trebisonde, & alia emporia illic posita: qui similiter possunt procurare *Pater noster*, versum in illas linguas cum aliquot vocabulis.

7. Quæritur etiam, quæ sint linguæ ad septentrionale latus maris Caspii, & ultra, versus Orientem, & Septentrionem.

8. An, & quæ sint linguæ generaliores, & latè diffusæ in illis remotis regionibus, à Slavonica tamen, vel Moscovitica toto genere diversæ.

9. Relatum est, quemdam Jesuitam Hungarum ante annos complures à Tartaris captum fuisse, & venditum aliis Barbaris post Caspium mare positis, ibique reperisse linguam Hungaricæ cognatam. Quæritur, an de ea re ulterior notitia haberi possit.

10. Quæritur, annon lingua quædam peculiaris à Slavonica, Hungarica, Græca, & Turcica prorsus diversa reperiatur in Albania, & Bulgaria. Nam relatum est, talem linguam singularem reperiri in montibus Albanicæ, & Epiri.

11. Quælibet *Oratio Dominicæ*, vel *Pater noster*, aut aliud vocabulum linguæ scribatur literis notis, & subjiciatur versio interlinearis à verbo ad verbum in lingua aliqua generalius in Europa nota, velut in Latina, aut Germanica, aut aliqua Slavonici generis, sive ea sit Polonica, vel Moscovitica, vel alia. Et ideo versio verbotenus facienda est, quia diversi populi diverso modo verba Orationis Dominicæ collocant.

12. Possunt hic usui esse Interpres publici, Missionarii Christiani, & Mercatores, tam Christiani Latini, Græci, vel Armenii, quam etiam Judæi. Et ad Gloriam Dei perinet verti *Pater noster*, sive *Orationem Dominicam* in illas linguas, in quibus nondum habetur, ut omnis lingua laudet Dominum.

13. Habemus jam *Pater noster*, seu *Orationem Dominicam*, in linguis *Polonorum*, *Serviorum*, *Dalmatarum*, *Croatarum*, & *Rusorum*, vel *Moscovitarum*, (quæ omnes sunt linguæ Slavonici generis) *Wallachorum*, quæ est semi-latina, *Cettionum*, & *Livonorum*, quæ duæ sunt conjunctæ inter se, sed diversæ ab aliis, *Turcarum*, *Periarum*, *Chinenium*: Quod monetur, ne tales adhuc semel mitti opus sit.

14. Quoties ponitur *Oratio Dominicæ*, seu *Pater noster*, aliaque vocabula, addetur nomen, & situs populi, qui sic loquitur.

15. Ex abundanti proderit addi *indiculum* quorumdam *vocabulorum*, *res substitutiones experimentum*. Talia sunt.

Nomina numeralia, unum, duo, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30. 40. 50.
100. 1000.

Propinquitates & etates: Pater, mater, avus, filius, filia, frater, soror, paterus, maritus, uxor, sacer, gener, vir, mulier, infans, juvenis, senex.

Partes corporis: Corpus, caro, cutis, sanguis, offa, caput, frons, nasus, oculus, pupilla, auris, barba, os, lingua, dens, pectus, cor, brachium, manus, pes, digitus, crines, venter, mamillæ.

Necessitates: Cibus, potus, panis, aqua, lac, vinum, medo, herba, frumentum, pornum, sal, pisces, bos, ovis, equus, vestis, pellis, domus, currus, gladius, arcus, sagitta, lancea, bombarda.

Naturalia: Deus, homo, cœlum, sol, luna, stella, aér, pluvia, tonitru, fulgur, nubes, gelu, grando, nix, glacies, ignis, calor, lux, fumus, terra, ager, mons, vallis, mare, fluvius, lapis, arena, canis; lupus, cervus, ursus, vulpes, avis, serpens, mus.

Actiones: Edere, bibere, loqui, videre, esse, stare, ire, occidere, ridere, dormire, scire, velle &c.

Hæc ideo recensentur non quasi omnia obtainere neceſſe sit, sed ut pro modulo inserviant ad aliqua obtainenda, quæ commodè habere licebit: præsertim cum aliquando fortasse minus facile futurum sit obtainere ipsum *Pater noster*. Interim quo plura dabuntur, eo plus lucis habebimus.

II. *Responsum D. Podesta.*

IN Tartariâ, Deskaptshak dicta, ad littus septentrionale maris Caspii occasum versus Tartaris Magiaris regio contermina, se orientem verius ad flumen Arabibus Gibun & Latinis Taxartem extendens, videtur aliquid de Germanismo eorum linguæ inesse. Illa enim lingua est semi-Persica, & semi-Tartarica orientalis, & lingua Persica plurimis Germanicis vocibus mixta, videtur eas a Deskaptshensibus Tartaris habere; & ii tales Tartari fuerint, de quibus *Busbequius* loquitur: nam *Mustapha*, *Ben Golel Sultanii Sullimanni gesta scribens*, inter Sultanum *Sullimannum*, & Tartaros Deskaptshenses fuſſe correspondentiam, & legatos a *Sullimanno* hos Tartaros missos fuſſe, afferit, ut eorumdem Regi victorias suas in Hungariâ obtentas significaret; is e contra alias miserit, quos *Busbequius* observaverit.

Sunt perplures Tartarorum *Hordæ*, id est, caſtra quæ certis sedibus non gaudent ad flumen Volgam. Fruuntur illius fluminis piscibus, quos ad solein exſiccant, & in pulveres redigunt; pascua suis cum armentis hinc inde queritant, ideoque vaſtæ ibidem plagæ reperiuntur, quarum incolæ fixa loca non habent.

Linguæ sunt mixtæ, participantes de Tartaricâ & Moscoviticâ versus partes magis occidentales, & versus plagas orientis de Tartaricâ recedente, a mix-

a mixturâ Turcica , & commiscente se cum Tartaricâ Chitai , quales voces reperiuntur in *Historia Turcicâ Huseini Algenabii.*

Directa linea a littore Ponti est Tartarica magis civilis in *Caffa* , *Bialogrod* , & ultra Tartarica magis barbara , *Circassia* , *Calmuchi* , mixtim Tartaricè , & Moscoviticè loquuntur : *Trapezunti* Turcicè & Georgiana linguâ , quæ etiam Iberica nuncupatur , proprium characterem habens. Hujus linguæ Grammatica habetur suis cum characteribus impressa Romæ in Collegio de propaganda.

Est lingua *Magyaræ* similis nostræ Hungaricæ hic in Europâ. *Hungari* enim quod Hungari dicentur , non est ab illis , quod ita se vocent , sed ab *Hunnis* & *Garis* seu *Gauris* juxta *Algenabium* , Hungari a Romanis appellati. Hungari enim se suâ propriâ linguâ *Magyar* hodierna adhuc die appellant.

Altera est lingua *Destkapschorum* semi-Tartarica , Chitajana , & semi-Persica. Fusissima autem linguarum in partibus septentrionalibus Caspii maris est ipsa *Tartarica Chitajana* , cuius dominans Princeps , *Algenabio* teste , habet regiones seu regna septem , quæ medii anni itinere circuiri non possent. *Habet characterem specialem semi-hieroglyphicum.* Hac ipsâ linguâ & charactere , quod meis oculis vidi , Rex Chinæ *Tartarus* scripsit Imperatori nostro , & suam simul effigiem eidem transmisit. Character similis characteri Syriaco. Hæc in Augustissimi Cæsaris Bibliothecâ hic Viennæ videri possunt. Urbs præcipua hujus magnæ Tartariae , ubi Imperantis residentia est , vocatur *Thaingacz.*

Hujus rei notitia ex *Huseino Algenabio Historico Turcico* , & linguâ Turcicâ scripto habetur , ut exhibui Illustrissimo Residenti Serenissimi Electoris de Luneburgo ex glossâ *Tengnageli* ad hunc auctorem.